LC
2258
.J86
.2

PRINCETON UNIVERSITY
LIBRARY
BRÜNNOW COLLECTION
Presented by
MRS. WILLIAM C. OSBORN
MR. CHARLES SCRIBNER, '75,
MR. DAVID PATON, '74,
MR. HENRY W. GREEN, '91,
MR. ALEXANDER VAN RENSSELAER, '71,
MR. ARCHIBALD D. RUSSELL,
MR. CYRUS H. McCORMICK, '79.

DE SCIENTIIS
ET STUDIIS ARABUM
ANTE MOHAMMEDEM
ET DE
FABULIS LOKMANI.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOSOPHICA

QUAM PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

D. XVIII. FEBRUARII A. MDCCCXXXI

PUBLICE DEFENDET

HENR. FERD. WÜSTENFELD
MUNDENSIS.

OPPONENTIBUS:

BEUTLER, ASSESS.
AD. LAUN, D. D.

GOTTINGAE,
TYPIS DIETERICHIANIS.

PRINCETON UNIVERSITY LIBRARY PAIR>
32101 019164704

VIRO ILLUSTRISSIMO

TH. CHR. TYCHSEN

ORDINIS DANEBROGICI EQUITI

THEOL. ET PHILOS. DOCTORI ET PROFESSORI P. O.

BRITANN. HANNOVERAEQUE REGI A CONSIL. AULAE

SOC. REG. SCIENT. GOTTING. ET HAVNIENS. REG. SODALI

SOC. ASIAT. LOND. ET PARIS. SOCIO EXTERO

SOC. ANTIQ. HASSO-CASSEL. H. C. ADSCRIPTO

PRAECEPTORI PIE COLENDO

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

2258
.986
.2

AUCTOR.

414469

Abu'l Faragius, in libello suo de origine et moribus Arabum, "Eruditio, inquit, Arabum, cujus gloriae praecipue studebant, haec erat: linguae suae peritia, sermonis proprietas, carminum textura et orationum compositio; noti etiam illis erant stellarum ortus et occasus [1])." Idem fere exprimit Abu'l Feda his verbis: "Scientiae, quibus studebant Arabes, hae fuerunt: genealogiae, occasus siderum notitia, historia, somniorum interpretatio [2])." Quorum auctoritatem secutus in hoc opusculo congessi, quae et illi ipsi et alii scriptores atque viri docti *de genealogiis*, *de scriptura et lingua*, *de poësi et de vaticinationibus Arabum ante Mohammedem* nobis tradiderunt, adjectis annotationibus nonnullis *de mercatura* Arabum

1) v. Pocockii Specim. histor. Arab. ed. J. White. pag. 5 sq.

2) v. Excerpta ex Abu'l Feda, quae a S. de Sacy communicata, White editioni Pocockii libri, modo laudati, adjecit. pag. 546. — (de Hammer), *Encyclopädische Uebersicht der Wissenschaften des Orients.* Lips. 1804. pag. 124 sq.

et *de hominibus* inter eos *sapientiae laude claris;* ubi etiam Lokmani, *fabularumque*, quae ei tribuuntur, mentio fiet.

Arabes originem ducere a Kahtano seu Joktano, Eberi filio, et ab Ismaële, filio Abrahami, traditio est et ipsorum et Hebraeorum scriptoribus probata. Joktanidae Arabiam felicem sive Jemanam incolebant, Ismaëlis autem posteri septentrionalem Arabiae partem obtinebant [3]). Omnes nomades erant, sedes stabiles et certas nullas habentes. Singulae catervae sub suis ducibus, mox aliae ab aliis sejunctae, assidua bella inter se gerebant, quibus saepissime tota tribus ab alia subacta et funditus deleta est. Ita evenit, ut de nonnullis tribubus, aut plane perditis aut permixtis cum aliis, nihil nisi nomina nobis tradita acceperimus [4]). Omnino autem ex antiquissima omnium tribuum historia nuda fere principum nomina servata sunt, quibus genealogia cujusque gentis deducitur, a majoribus accuratissime posteris tradita [5]). Neque exspectabis, ex illis temporibus, ubi memoriae humanae imbecillitati nondum scribendi artificio succurrere-

---

3) Genes. X. 25-30. XXV. 13-18.

4) Pocock. Specim. histor. Arab. pag. 36.

5) Eichhorn, monumenta antiquissimae histor. Arab. § 7.

tur, perpetuam rerum gestarum historiam ad veritatem esse propagatam. Sed pro insigni majorum, non modo Arabum, sed etiam Graecorum, aliorumque populorum facultate, res multas memoria retinendi, facile persuasum habebis, Arabum genealogias esse fide maxime dignas. Praeterea quaelibet tribus major genealogum habuisse videtur, qui omnem vitam totius tribus genealogiis consecrabat, easque, ut facilius memoriae mandari et custodiri possent, versibus includebat; ut conjicere licet ex verbis Ebn Fares, qui, "Poëmata, inquit, Arabibus sunt commentariorum vice, quorum beneficio imperturbatae servantur genealogiarum series, et, ne oblivioni tradantur res gestae memoria dignae, cavetur [6])." Quare in libris Arabum historicis, ad nomina genealogica quod attinet, nihil paene desideratur [7]); sed de hominum rebus gestis multa ac mira fabulantur historici. Etsi igitur Arabes, ex quo Syriâ expugnatâ Graecas literas amplexi sunt, in omni scientiarum genere excelluerunt, nihilominus, quibus studiis antea incumberent, incertissimum est.

---

6) v. Pocock. l. c. pag. 164.

7) De integritate et mendis genealogiarum Arabum nostrae aetatis vid. Niebuhr, *Beschreibung v. Arabien.* pag. 15 sq.

Tempus ante Mohammedem Arabes ipsi حَالَ الجَاهِلِيَّةِ i. e. statum ignorantiae, vocant; estque hoc proxime quidem sensu religioso, quod veram religionem ignorarent, interpretandum [8]); attamen quum, scribendi arte nondum cognita, de pristino statu nihil certi accepissent, ignorantiam istam ad historiae quoque cognitionem extendi posse, mihi persuasum habeo.

Scribendi artificium haud multo ante Mohammedem innotuisse Arabibus, inter omnes convenit. Moramerum, Morrae filium, Anbariensem, literarum Arabicarum repertorem nominant, a quo Hirenses, et ab his Koraischitas eas accepisse ferunt [9]). Sine dubio a Syris didicit Moramerus harum literarum characteres, e quibus paulum deminutis atque inclinatis ortae sunt literae illae, quas Cuficas vocant, ab urbe Cufa, ubi multi Korani codices transscripti sunt. — Notissimae sunt Tarafae et Motalammesi literae mortiferae [1]); ut silentio

---

8) v. Ebno'l Athir apud Pocock. l. c. pag. 53.

9) v. Silv. de Sacy, mémoire sur l'origine et les anciens monumens de la littérature parmi les Arabes; in Mémoires de littérature. Tom. L. pag. 299 sqq. — de Jenisch, de fatis lingg. Orientat. in praefat. ad Meninski lexicon Turc. Arab. Persicum. 1780.

1) v. Tarafae Moallak. ed. Vullers. pag. 7 sq.

transmittam, omnino septem illa carmina, quae Moallakat nominant, in Caaba suspensa fuisse, unde nomen acceperint; in Harethi quoque Moallaka [2]) scripturae fit mentio his verbis: "Anne violabunt, quae in tabulis sunt exarata, libidines?" — Quae omnia haud multis ante Islamismum ortum annis incidunt.

Sed jam longe ante Hemjarensibus notam fuisse scribendi artem, refert Nuweirius pluribus locis. Ac primum narrat [3]), Nâscher al Neam, vigesimum tertium regum Jemanensium, perdita in Africae desertis magna copiarum parte, statuam ex aere conflatam erexisse, ejusque pectori scriptura Hemjaritica insculpi curasse haec verba: "Hanc statuam posuit Nâscher al Neam, Hemjarensis; ultra eam egredi non datur. Nemo id attentet; nam male perit." Deinde commemorat schedulam obsignatam, continentem causam, propter quam Dsu Rajan Amruo fratricidae se jure jurando obstringere nollet [4]). — Accedit mutuus literarum usus inter Abrahamum, quadragesimum sextum regum Jemanensium, et Nagâsium, Habessino-

---

2) v. Harethi Moallak. ed. Vullers. vers. 67. et not. pag. 39.

3) v. Schultens, histor. Joktanid. p. 57.

4) ibid. p. 57.

rum regem [5]). — Antiquissimum vero scripturae Hemjariticae testimonium, si ei fides habenda est, exstat apud Ebn Heschamum, qui dicit, in Jemana sepulchrum a torrente detectum, et in eo inter alia ornamenta inventam esse tabellam, cui inscriptum fuisset, foeminam hîc jacentem Josephi tempore fame periisse [6]).

Hemjarensium scripturae, القلم الحميري, a ceteris Arabibus المسند Mosnad dictae (literis cohaerentibus, aliis aliis quasi innisis) [7]), nullum superest exemplum [8]); similis autem fuisse videtur Aethiopum sive Habessinorum scripturae [9]).

Ceterum scribendi arte perpaucos tantum peritos fuisse, patet ex eo, quod, divulgato jam Korano, in multis regionibus non inveniretur, qui scribere aut legere nosset. Ipsum certe Mohammedem utriusque literaturae partis ignarum communi consensu statuunt; ejusque so-

---

5) ibid. pag. 67. coll. pag. 73.

6) v. Pocock. Specim. hist. Arab. pag. 160.

7) v. Mémoires de littérature. Tom. L. pag. 260 sq.

8) Niebuhr, *Beschreib. v. Arab.* pag. 94. conjicit, inscriptiones ad Dhafar urbis ruinas esse Hemjariticas; sed non ipse eas vidit.

9) v. Mémoires de litt. Tom. L. pag. 276 sqq.

ciorum nobilissimi, Otman atque Ali, amanuensium munere fungebantur [1]), et singulas prophetae orationes foliis palmarum, ossibus et tabulis ligneis inscribebant.

Quae quum ita sint, monumenta Arabum literaria ex antiquissimis temporibus exstant prorsus nulla, et quae scriptores posteri de vita et studiis majorum tradunt, ex narrationibus ore propagatis acceperunt. Ita accidit pluribus populis vetustis. Quando natio exuta feritate aliquem culturae gradum assecuta est et literarum usum novit, statumque suum praesentem comparat cum pristino, tum demum ejus scriptores traditiones de majorum rebus gestis perscribere incipiunt. Exemplum habes Herodoti, qui antiquam Graecorum historiam satis accuratam memoriae prodidit. — Populi, qui, sedem mutantes, a peregrinis, quorum terram occupant, animi cultu, artibusque instruuntur, pristini status memoriam mox abjiciunt, nec traditionibus, nec monumentis, nec nominibus retentam [2]). Hac ratione Arabes illi, qui in Syria, Babylonia seu Irak-Arabi et Mesopotamia sedes fixerunt, primi doctrina

---

1) v. Abu'l Fedae Annal. Moslem. ed. Adler. Tom. I. pag. 195. coll. pag. 127.

2) Exemplo evidentissimo sunt Hungari. v. Mailath, *Geschichte der Madjaren.*

eruditi sunt; minus vero etiam de majorum traditionibus servarunt, quam ceteri Arabes.

Poësis multis jam ante Mohammedem annis floruit; nam poëticus Arabum spiritus pluribus rebus incitabatur. Terra, vitae ratio, peregrinationes ad Meccam, ubi vetustissimum erat gentis sacrarium, certamina poëtica in valle Ocadh, honor, quo afficiebat poëtam novum sua tribus, superbia, qua de lingua sua et traditionibus gloriabantur, animi propensio ad res prodigiosas et periculosas aeque atque amatorias, gloriae cupiditas, solitudo et ulciscendi libido: haec omnia eos ad poëseos studium excitabant et ad translationes audacissimas, ad cogitationes magnas et sublimes, ad sententias acutissimas et ad subtilitatem laudis et vituperationis rerum versibus expositarum adducebant.

Exstant quaedam carmina vetusta, ab historicis praesertim narrationibus intexta, sed perpaucis exceptis [3]), omnia Koraischitarum dialecto. Nam tribus Koraisch, omnium maxime bonis artibus polita, cum ceteris literas et eruditionem communicavit. Septem illa carmina

---

3) Eichhorn, *über die verschied. Mundarten der arab. Sprache*, carmina linguae Hemjariticae e Schultens. monument. vetustior. Arabiae elegit.

majora, quae Moallakat nominant, dialecto Koraischitica scripta sunt; et quum Korani quoque lingua, quo in legendo versionibus uti non licet Mohammedanis, Koraischitica sit, hujus dialecti usus sensim apud omnes Arabes innotuit, atque adeo vetusta aliarum dialectorum carmina in Koraischiticam transtulerunt. — Antiquissima carmina majora, nobis servata, sunt modo laudata Moallakat et nonnulla eorum, quae Abu Temmâm in Hamâsa sua collegit, quorum praestantiam hîc non commemorabo [4]).

Etsi vero ignorantiae et inscitiae Arabes ante tempora legis Islamiticae accusent Mohammedani, iisque nihil admodum philosophiae concessisse Deum Abu'l Faragius [5]) dicat, non id tamen ita intelligendum est, quasi viros eruditos inter se non habuerint. Fuisse enim etiam vetustioribus temporibus Arabiae suos sapientes, eruditionis orientalis cognitione praestantes, colligi potest e narrationibus aliorum populorum, qui res gestas perscripserunt prius

---

4) v. Tychsen, de poëseos Arab. origine et indole; in Comment. Soc. Gottingens. recentior. Tom. III. pag. 235. — de Sacy, in Mémoires de littérat. Tom. L. p. 373.

5) v. Pocock. Spec. histor. Arab. pag. 7. — Histor. dynast. IX. p. 101.

quam Arabes ipsi. — In historia Salomonis [6]) perhibetur sapientia ejus major, quam sapientia כָּל־בְּנֵי־קֶדֶם i. e. omnium Orientalium. Hoc est nomen Arabum apud Hebraeos [7]). Arabia ipsa nominatur אֶרֶץ קֶדֶם, terra orientis [8]); Arabiae montes הַר הַקֶּדֶם i. e. mons orientis [9]). Arabia enim Palaestinae orientem versus sita est [1]). Et auctor ille, qui libros Regum in sermonem Arabicum transtulit, loco allato verba hebraica vertit أَهْلُ الشَّرْقِ, populus orientis i. e. Saraceni seu Arabes. — Qualis autem fuerit Salomonis sapientia, qua antecelluit Arabibus, ex sequentibus apparebit. Regnum suscepit Salomo circiter mille annos ante Christum natum, vel 1600 annos ante Mohammedem. Eodem tempore narratur Sabae Regina ob famam sapientiae Salomonis Hierosolyma venisse, ad probandum eum aenigmatibus [2]). Eadem traditio est apud Ara-

---

6) 1 Reg. IV. 30.

7) Jes. XI. 14. — Job. I. 3. — Jer. XLIX. 28.

8) Genes. XXV. 6.

9) Genes. X. 30.

1) v. Tacit. histor. V. 6. Terra (Judaea) finesque, qua ad orientem vergunt, Arabia terminantur.

2) לְנַסֹּתוֹ בְּחִידוֹת 1 Reg. X. 1. — חִידָה, a rad. חוד حَادَ flectere, deflectere, per ambages ducere, significat inflexum quid, dolus; deinde

bes, qui illam Sabae reginam بلقيس, Belkis nominant [3]). Quod Salomoni quaestiones ob-

---

dictum artificiose inflexum, aenigma. Jud. XIV. 12. Proprie dicitur de facete et jocose dictis, et in parallelismo respondet voci מְלִיצָה, Prov. I. 6; contra מָשָׁל respondet דִּבְרֵי חֲכָמִים dictis sapientium. Sed saepius חִידָה et מָשָׁל promiscue ponuntur. Ps. XLIX. 5. LXXVIII. 2. — v. Ziegler, *Uebersetzung der Denksprüche Salomo's*. Lips. 1791. Praefat. pag. 7. — Umbreit, *Commentar über die Sprüche Salomo's*; introduct. de sapientia Orientalium.

3) v. Schultens. histor. Joktanid. pag. 55. — Sabaei Arabiam felicem incolebant, ibique reginae imperium tenebant. Claudian. lib. I. in Eutropium: Medis, levibusque Sabaeis imperat hic sexus. — Aben Ezra in Dan. XI. 6. de Sabaeis in Jemana, Hodieque, inquit, mulier illis imperat. — Bochart. Geogr. Sacr. lib. II. cap. 26. — Sedes imperii tunc temporis fuit مأرب, Mareb, sive Mariaba Plin. Histor. Nat. VI. 32: Regia tamen omnium (Sabaeorum et Atramitarum) est Mariaba. — Strab. geogr. lib. XVI. pag. 1113 et 1124 ed. Casaub. *Σαβαίων μετρόπολις Μαριάβα*. — Geogr. Nubiens. I. 6 et II. 6. — Sed Mareb, quae vox, teste Plinio l. c., significat dominum, est cognomen urbis primariae, quae proprie Saba dicta fuit. cf. Excerpt. ex Abu'l Feda. pag. 498. Rex Abd Schems, cognominatus Saba, exstruxit aggerem in regione مأأرب Maareb, septuaginta (intelligas septem) fluvios ad eum deduxit, torrentesque longe

scuras dissolvendas proponit, moris est antiquissimorum populorum. Sententiae, parabolae, aenigmata sunt prima cogitationis experimenta [4]). Arabes inde ab omni tempore majorum sapientiam, rerum et morum humanorum scientiam dictis atque sententiis vestiebant, quarum antiquissimae maximam certe partem perierunt. Attamen nonnullas earum, et ipsius Lokmani [5]), in Abu Obeidi, Almofaddeli, Meidanii et Zamachscharii collectaneis sententiarum servatas esse traditur. Multae quidem ad certum spectant locum et causam, pleraeque vero etiam interpretationem vagam admittunt et in proverbiorum consuetudinem venerunt.

---

dissitos in hunc locum perduxit. Urbem quoque Maareb exstruxit, quae urbs Sabae dicta est. Volunt alii, arci, quam rex incolebat, nomen Maareb inditum, urbem vero Sabam dictam fuisse. — Philostorg. histor. eccles. III. 4. Metropolis (Arabiae felicis) est Saba, ex qua urbe olim Regina ad Salomonem visendum profecta est. — Dona, quae Salomoni impertitur Regina, aurum, odores et gemmae (1 Reg. X. 10), non alii magis regioni, quam Arabiae felici conveniunt. v. Plin. Histor. Nat. XXXVII.

4) Vide parabolam Jothami de arboribus, quae regem constituunt; Judic. IX. 7. et aenigma Simsonis, ibid. XIV. 14.

5) v. Galland, paroles remarquables, bons mots et maximes des Orientaux. Paris 1694.

Itaque narratio de Regina Sabaea, Salomonem ob sapientiam invisente, minime est difficilis ad fidem, atque adeo argumento est, commercium fuisse inter Arabes et nationes longinquas, ad quas Arabes, camelis abundantes [6]), commeatibus merces Arabiae felicis deportabant. — Jam ex antiquissimis temporibus Arabum commercium inclaruit, et primus ejus mentionem facit auctor libri Geneseos [7]), narrans, Josephum a fratribus venditum esse Ismaëlitis. Hoc nomine Arabes appellabant Hebraei [8]), quum Ismaëlis posteri proximas Arabiae partes boreales habitarent; et paulo post auctor nomine speciali significat Midianitas, qui, mercium inter Babyloniam et Aegyptum transmittendarum curatores, ipsius Arabiae fructuum mercaturam magnam et quaestuosam fecerunt [9]). Omnino autem Arabes ob patientiam in sustinendis difficilium per deserta itinerum molestiis ad

---

6) v. Judic. VI. 5. coll. VIII. 10. — 1 Reg. X. 10 sqq.

7) Genes. XXXVII. 25.

8) Judic. VIII. 24. coll. verss. 22 et 26. — Dicitur quoque בְּנֵי יִשְׁמָעֵאל filii Ismaëlis pro Arabibus, לְשׁוֹן יִשְׁמָעֵאל lingua Ismaëlis pro lingua Arabica. — Hierosolymitana paraphrasis Genes. l. c. pro Ismaëlitis habet סרקיין Saracenos.

9) v. Heeren, *Ideen.* T. II. Sect. 1. pag. 366. Edit. quart.

haec negotia aptissimi fuere. Tribus Koraisch, a qua Mohammedes originem duxit, et ipse propheta agmina mercantium comitabantur [1]), et vallis Ocadh prope Meccam, ubi tabernacula collocabant, qui religionis causa huc peregrinabantur, jam dudum mercatu multorum populorum frequentabatur. Sinus Persicus, ubi urbs Gerra [2]), Euphrates et portus sinus Arabici notissimae erant viae et emporia mercium Indicarum [3]); quare multae res, quae ex India invehebantur in alias terras, Arabicae, et Arabia ipsa nominabatur India [4]). — Amru Ben Kelthum, Taglebita, in fine carminis sui gloriose in haec erumpit verba [5]):

Replemus terram ita ut non capiat nos,
Et aquam maris replemus navibus.

---

1) v. Abu'l Fedae Annal. Moslem. Tom. I. pag. 21.

2) v. Strab. geogr. lib. XVI. pag. 1122. ed. Casaub. *Γερραῖοι καὶ πάντες οἱ πλησιόχωροι τὰ τῶν ἀρωμάτων φορτία κομίζουσιν.* — Diodor. Sicul. III. 41. In phocarum insulam thus, aliasque odoriferas merces ex Arabia Gerraei et Minnaei convehunt.

3) v. Heeren, *Ideen.* Tom. I. Sect. 2. pag. 255. Sect. 3. pag. 367.

4) Huc referenda esse puto, quae de Sesostridis, Aegypti regis, expeditione in Indiam narrant scriptores.

5) v. Amrui Ben Kelthum Moallak. ed. Kosegarten. vers. 102.

Quod licet praeter veritatem exaggeratum sit, inprimis quum ne oras quidem maritimas incoluerit, sed in Arabia septentrionali, et praesertim, ut videtur, in terris Syriae et Mesopotamiae confinibus sedes habuerit tribus Tagleb: attamen Arabes mercaturam maritimam fecisse, hoc loco probatur. — Jam pridem Arabes strenui colonias deduxerant in oras Africae orientales et inde sub Romanorum imperio principes fuerunt mercatorum, qui in Indiam proficiscebantur. Mox quum omnes terras ab Indo et Gange fluminibus usque ad mare Atlanticum et Pyrenaeos montes non multis post Mohammedem annis sub suam potestatem redegerant, aliquod tempus omnium populorum maximam et frequentissimam fecerunt mercaturam, primis Chalifis commercium terrestre et maritimum omni modo adjuvantibus.

Ita doctrina aliqua et animi cultu, qui mercaturam semper sequi solent, erudiri Arabes necesse fuit, et inveniuntur in eorum terra vestigia, ex quibus probabiliter confici potest, alios populos, quibuscum communem mercaturam fecerint, non uno modo literarum atque artium studium apud eos juvisse.

Ac primum quidem Aegyptii in culturam Arabum multum valuisse videntur; quod jam inde concludi potest, quod vicini fuerunt.

Atque adeo coloniam in Arabiam deduxisse Aegyptios, verisimillimum est. Proficiscens nempe ab Aegypto versus montem Sinai venis ad collem, qui nominatur جبل المكتب i. e. Mons inscriptus [6]). Hic est sepulcrorum locus, cujus cippis more Aegyptiorum incisae sunt scripturae hieroglyphicae. Inde intelligitur, Aegyptios hac in regione diu sedem ac domicilium collocasse, etsi non eodem loco, quo cippi inveniuntur; nam mortuos locis secretis sepelire solebant [7]).

Non minus deinde Persae cum Arabibus conjuncti fuerunt, eosque doctos atque politos reddiderunt. Magi inter Arabes jam in histo-

---

6) Niebuhr, *Beschreib. v. Arab.* pag. 402. commemorat alium montem inscriptum, omnium memoratu maxime dignum, in deserto montis Sinai; et haud procul ab eo urbis ruinas esse, dixerunt ejus comites Arabes.

7) v. Diodor. Sicul. I. 96. Pratum vero et defunctorum habitationem confictam esse locum juxta paludem, quem Acherusiam vocant, prope Memphin, quam prata et stagna amoenissimis cum loti et calami silvis circumdant. Nec abludere, qui mortuos loca ista incolere fingat. Plerasque enim et maximas Aegyptiorum funerationes istic peragi, quum cadavera per amnem et Acherusiam paludem deportata in cryptis illic sitis reponant.

ria Pythagorae commemorantur, qui apud illos quoque sapientiam suam didicisse traditur [8]), et Plinius [9]) Hippocum Arabem Magum nomine appellat. Licet hic Magos, quales apud Persas fuerunt, intelligere nolles, sed tantummodo viros doctos, aut fortasse peculiarem hominum ordinem, qui scientiis, praecipue astronomia et astrologia, inclaruisset, quin imo totam narrationem fictam esse censeres, ut Pythagoras sapientiam suam undique gentium collegisse videretur: id saltem concedendum, tunc temporis sapientiae gloria floruisse Arabes. Praeterea Ptolemaeus attingit Insulam et Sinum Magorum in mari rubro [1]). At vero etiam certissimum est, quasdam Arabum tribus Magis nomen dedisse [2]). Magi igitur Persici in Arabiam venisse et ordinem suum ex Arabibus explevisse videntur. Quare concedi facile potest, quod viri docti contendunt, 'Magos illos,

---

8) v. Porphyr. vit. Pythagor. — Plin. Hist. Nat. XXV. 5. Pythagoras primus volumen de herbarum effectu composuit ..... et Democritus, ambo peragratis Persidis, Arabiae, Aethiopiae, Aegyptique Magis.

9) Histor. Nat. XXX. 1.

1) v. Ptolem. Geogr. IV. 8. *Μάγων νῆσος*, et VI. 7. *Μάγων κόλπος*.

2) Florebat Magorum religio inter Bani Tamim. v. Pocock. Specim. hist. Arab. pag. 141.

qui ad natum Christum adorandi causa venerunt [3]), ex Arabia venisse, Sabaea thura cum auro et myrrha, Arabiae fructus, afferentes [4]). Sed ex sacri historici narratione nihil aliud potest colligi, nisi eos sidera observasse, eorumque notitia non prorsus caruisse.

Insuper Arabibus, uti omnibus veterrimis populis, bonis artibus politis, harioli et somniorum interpretes fuerunt. كَاهِنٌ hariolus appellabatur, qui futura praevidere, somnia, antequam ei enarrata fuerint, et conjicere et interpretari, furta detegere, de hominibus absentibus edocere poterat [5]). Confirmant harioli, se instrui a Fea seu Dea quadam, et ad nostra usque tempora effusis laudibus vaticinandi artem efferunt [6]). — Scriptores Arabici multas enarrant res, quae antiquioribus temporibus ab hariolis praedictae fuerint, quarum memoratu maxime dignae hae sunt:

---

3) Matth. II. 1 sqq.

4) Ibid. vers. 11. *προσήνεγκαν αὐτῷ δῶρα, χρυσὸν καὶ λίβανον καὶ σμύρναν.*

5) v. de Sacy, sur divers événemens de l'histoire des Arabes; in Mémoires de littérature. Tom. XLVIII. pag. 677.

6) v. Niebuhr, *Beschreib. v. Arab.* pag. 121 sq.

Dharifa [7]), mulier fatidica, Amruo, vigesimo septimo regum Jemanensium, praedixisse dicitur سيل العرم i. e. inundationem Aram seu rupturam aggerum Marebensium [8]). — Idem rex Amru, fratre Hassano interfecto, advocavit sacrificulos, hariolos et divinatores, sciscitans, quae sit causa insomniae, qua esset cruciatus [9]). — Amranus quoque, Amrui frater, erat divinator summus, qui jam ante Dharifae visum in divinatione sua gentem suam omni modo fore dilacerandam et dissipandam vidit [1]).

Rabia ben Nasr, rex Jemanae, aliquando somniavit et ab interpretibus postulavit, ut, antequam iis somnium enarraverit, divinarent, quid somniaverit, et interpretarentur. Arcessiti igitur Satihus et Schakkus, conjectores tunc temporis celeberrimi, somnio indicato, Aethiopes jamjam terram Jemanam occupaturos esse

---

7) ظريفة الخير Dharifat-alkhair, ita legendum esse hoc nomen, pro طريفة Tarifa, uti scripserunt Schultens et Reiske, monet de Sacy, l. c. pag. 492. nota (g).

8) v. Schultens, histor. Joktanid. pag. 161 sqq. — Reiske, de Arabum epocha vetustissima, Seil ol Arem, i. e. rupturae cataractae Marebensis, dicta. 1748. — de Sacy, l. c. pag. 488 et 634 sq.

9) v. Schultens, hist. Jokt. pag. 73.

1) Ibid. pag. 169. coll. pag. 9.

vaticinati sunt [2]). — Tobbae quoque regi somnium exponunt Satihus et Schakkus, de adventu Mohammedis prophetae [3]).

Ad eundem Satihum (trecentos enim annos vixisse dicitur) misit Cosroes, rex Persarum, collapsis illa nocte, qua propheta Mohammedes natus erat, palatii turribus, ut haec portenta interpretaretur [4]).

Rex Zohairus, Calbita, cognominatus est كاهن vates, ob insigne judicii acumen et praestantiam [5]).

Multi praeterea exstant carminum versus, qui a posteris, tamquam vaticinia, ad missionem prophetae Mohammedis relati sunt [6]).

Exceptis hariolis et poëtis, qui in summo honore fuerunt apud veteres, occurrunt aliqua virorum nomina, qui sapientiae laude excelluerunt.

---

2) v. de Sacy l. c. p. 648 et 676 sq. — Nuwairius regem nominat Rabiam filium Modari. v. Schultens l. c. pag. 75.

3) v. de Sacy l. c. pag. 658.

4) v. Abu'l Fedae Annal. Moslem. Tom. I. pag. 7. — Gagnier, Abulf. vit. Moh. p. 3.

5) v. Excerpt. ex Abu'l Feda pag. 525.

6) v. Schultens, histor. Jokt. pag. 53 et 67.

Harethus, regum Hemjarensi
decimus, philosophus cognominatus
dicii acumen et praestantiam [7]).

Sahbanus, e tribu Wajel; cuju
ortum dedit proverbio: facundio
Wajelensi [8]). Hunc, refert Saadi
tia dixerunt incomparabilem; qui
num integrum pro concione verba f
bum nullum bis dicebat; sed si res
forte postularet verba, alia oratio

Kossus quoque, non minus e
inclytus, est in proverbio: eloquenti
Hic e posteris Ijadi, Saadae filius
tur [2]). Meidanius [3]) de eo dixit:
de sapientibus priscorum Arabur
omnium ingenii laude celebratissim
ille epistolarum commercia institu
etiam reditum in vitam, speculand
ceptum, professus est. Porro pri

---

7) v. Pocock. Specim. hist. Arab. p

8) Ibid. pag. 168.

9) v. Gentii speculum politicum. pa

1) v. Pocock. Specim. hist. Arab.
Schultens, vita Saladini. praefa

2) v. Excerpt. ex Abu'l Feda. pag.

3) v. Schultens, Meidanii proverbior
pag. 46.

solemnem praefationum clausulam Amma Baâda. Denique ad ipsum tanquam auctorem refertur hoc dictum: Apud docilem evidenti demonstratione, apud refractarium dextrae violentia utendum est. Vixisse eum tradunt annos centum et octoginta.

LOKMANUS.

Lokmani sapientiam laudat Mohammedes in Korano [1]), praecepta et monita narrans, quibus filium suum instituerit. Korani interpretes varia quidem ac mira de ejus vita tradunt; sed eum Habessinum [2]) fuisse, ex Aethio-

1) v. Sur. XXXI. quae hanc ob causam Sura Lokmani vocatur.

2) Recentiorum nonnulli (v. Baumgarten, *Uebersetzung der allgem. Welthistorie.* Tom. IV. pag. 369.) eum Persam, fabulasque principio persice scriptas fuisse credunt. Sed haec opinio in falsa posita est Erpenii conjectura, qui (Fabul. Lokman. 1615. Praefat. pag. 7.) "patria, inquit, ut ajunt, Persa, gente vero et religione Judaeus; — — multa scripsit (sermone procul dubio Persico); nondum enim eo tempore Arabum idioma erat egressum finibus." — Quia igitur Lokmanus fuit Persa, ergo fabulas persice scriptas fuisse autumat. Sed a Persis eum oriundum esse, Arabum, quantum mihi notum est, nullus refert, neque Herbelotus, qui ex pluribus excerpsit, hoc memorat. Quod Erpe-

pia vel Nubia natum, nigri coloris, crassis labiis, pedibusque fissis, et in Palaestina, fortasse Hierosolymis, servum venditum esse, communi consensu statuunt. Quo autem vixerit tempore, dissentiunt, quia plures ejusdem nominis viri, inter Arabes nobilitati, nominantur a scriptoribus, quos confuderunt posteriores.

Jam vero Abu'l Feda rectissime eos discernit et de Lokmano natu maximo: "Inter Aditas, inquit [3]), vir quidam fuisse dicitur, Lokmanus nomine, sed a Lokmano illo diversus, qui Sapientis appellatione gaudet, Davidisque prophetae coaevus fuit. Aditae nimirum, antequam eos deleret Deus, siccitate et annonae penuria afflicti fuerant, quosdamque ex suis Meccam miserant, qui votis nuncupatis imbrem suae terrae exorarent. Ex horum legatorum numero fuit Lokmanus ille, quem dicimus. Quum periissent igitur Aditae, remansit Lokmanus in ambitu adyti Meccani; eum itaque allocutus Deus, his verbis compellavit:

---

nius dicit: "ut ajunt," fortasse ex libro Lebtarich collectum est, ubi Lokmanus tempore Caichosru, Persarum regis, vixisse dicitur. — Casbin Lokmani metropolin nominat Chardin (voyage en Perse. Tom. I. pag. 276.); nescio quo auctore.

3) v. Excerpt. ex Abu'l Feda. pag. 496.

Elige, Lokmane, nec enim in aeternum vivere licet. Ad quem Lokmanus: Domine, da mihi vitam septem vulturum. Cepit pullum vulturis masculum ea ipsa hora, quum ex ovo prodiret. Qui ubi erat mortuus, alium similiter in demortui locum capiebat. Vivebant autem singuli octoginta annos. Ex his septimus Lobad dicebatur, quo moriente fatalem quoque diem obibat Lokmanus. Haec, addit auctor, ideo retulimus, quia inter homines et in Arabum carminibus frequens est rei istius memoria". — Ejusdem viri mentionem faciunt Hamza Ispahanensis [4]): "Harethi Ar Rajischi (quinti decimi regum Jemanensium) tempore defunctus est Lokmanus, a Lobado, ultimo vulturum longaevorum, denominatus"; et Nowairius [5]): "Harethi tempestate mortem oppetiit Lokmanus, a vulturibus nobilitatus."

Alius hujus nominis est tertius decimus regum Jemanensium [6]).

Tertius denique est noster, cognominatus الحكيم, Sapiens, qui plurimorum consensu Davidis et Salomonis tempore vixit. Alii ad

---

4) v. Schultens, histor. Joktanid. pag. 23.

5) Ibid. pag. 51.

6) v. Excerpt. et Abu'l Feda. pag. 500.

tempora Josiae, regis Judaeorum, eum referunt, ut Elmacinus [7]). — Frustra autem varias scriptorum de ejus genealogia narrationes conjungendi laborem suscipias; alii enim eum fuisse tradunt filium Beor, filii Nahor, f. Tharae, ergo pronepotem Abrahami; alii ex nepotibus sororis Jobi; alii originem ducere a Noacho, tertio gradu; et trecentos annos, vel mille, vel adeo tria millia vixisse referunt; quod, confusis personis, ad illum Lokmanum, quem primo loco nominavimus, spectare videtur. — Mirkhond, narrans historiam regis Caianiensis Caichosru, Lokmanum nostrum memorat; Khondemir eum cum illo Adita confundit. — Nec minus, quanam re quaestum fecerit Lokmanus, discrepat inter scriptores, nam alii eum fabrum lignarium, alii sartorem sive sutorem, alii pastorem fuisse tradunt. — Nonnullae ejus vitae res et dicta memoratu digna haec sunt [8]):

Quondam, dum meridiaret Lokmanus, Angeli invisi ejus cubiculum intrabant et salutantes eum, Nuntii, inquiunt, sumus Dei, tui et nostri creatoris, qui nos misit, ut tibi regnum

---

7) v. Hottingeri Histor. Oriental. pag. 101. Ed. alt.

8) v. D'Herbelot, bibliothèque orientale. s. v. Lokman.

totius terrae demandèmus. Quibus respondit Lokmanus: Si Deus jubet, ut summam imperii obtineam, ad ejus arbitrium et nutum totum me compono et spero, fore ut suppeditet mihi facultatem faciendi, quod jubet. Sed si data mihi est optio, summo huic loco praefero servitutem, in qua consulere licet animi integritati ac probitati, quibus perditis summi honores mihi molesti forent [0]). — Haec responsio ita placuit Deo, ut statim Lokmano donum sapientiae daret, qua omnes homines sententiis, fabulis et parabolis erudiebat, quarum numerum ad decem millia fuisse tradunt [1]).

Lokmanus, a conservis accusatus de fructibus esis, quos ipsi ederant, dixit domino: Bibamus aquam calidam, et mox videbis, quis nostrum fructus ederit. Statimque illi evomuerunt fructus, Lokmanus autem nihil nisi aquam calidam, quam biberat; et hoc modo innocentiam suam probavit [2]).

Dominus Lokmani aliquando ei dedit melonem amarum, ut ederet. Ille non repug-

---

9) v. commentarium in Koranum تفسير الفرقان inscriptum.

1) v. Thaalebi comment. in Koran.

2) v. Ĝelal Eddini Balchiensis carmen morale, مثنوي dictum.

nans statim eum edit. Domino deinde, hac obedientia valde stupefacto et interroganti: quomodo hunc fructum sapore injucundissimo edere potuerit? respondit Lokmanus: Saepissime abs te beneficia accepi; minime igitur mirum est, quod ederim unicum hunc fructum amarum, quem tu mihi obtulisti dum vivo. Dominus, hac animi magnitudine et sapientia penitus motus, ex servitute in libertatem eum vindicavit [3]).

Haud ita multo post Lokmanum, medium catervae hominum, quos docebat, vidit quidam Judaeorum sophista et interrogavit: Nonne tu es servus ille, qui nuper custodiebat oves? Sane, inquit Lokmanus. Et interroganti iterum illi, quomodo ad hunc gradum sapientiae et virtutis pervenerit, respondit: Tenui haec tria praecepta: Dic semper vera, serva promissa, neque aliorum res cura.

Alias interrogatus, a quonam acceperit sapientiam et judicii acumen? a coecis, inquit, qui non credunt, nisi quod tangunt. — Alio tempore, tradit Saadi, ad eandem quaestionem ita respondisse Lokmanum: Ab hominibus turpibus et vitiosis, quorum res gestas videns et

---

3) v. auctorem libri Nigaristan نگارستان.

comparans cum iis, ad quas bona conscientia me ducit, didici, quid sit evitandum, quid faciendum. Homo sapiens et prudens scit utilitatem capere vel ex venenis; dum praecepta optima nil prosunt insano.

Beidavi [4]) refert: Jussit David eum sacrificare ovem et offerre duo optima membra ex ea; obtulit autèm linguam et cor. Post aliquot dies jussit eum offerre duo pessima membra ex ea; et obtulit eadem. Quumque interrogaret eum hac de re, dixit: Num quid melius est his, si bona sint, aut pejus, si mala?

Cuidam, qui eum fixis oculis intuebatur, dixit: Si vides me habere labia crassa, scito tamen ex illis egredi sermonem subtilem; et si vides me esse facie nigrum, scito tamen me habere cor album.

Dicitur venisse ad David, dum occupatus esset in texenda lorica: jamque Deus molle ei fecerat ferrum, sicut lutum. Voluit ergo Lokmanus interrogare eum; et ingressa est in eum Sapientia, et tacuit. Quum autem David loricam absolvisset, induit se illa, et dixit: Quam pulchrum indumentum ad proelium! Quid tibi videtur? Respondit Lokma-

4) In commentar. pag. 652. v. Hottinger. l. c. pag. 105.

nus: Silentium est Sapientia; et pauci sunt, qui observent illud. Tum dixit illi David: Juste nominatus es Sapiens.

In Cilicia, refert Saadi [5]), praedones mercatorum comitatum aggressi, bona infinita abstulerunt. Mercatores in ploratum fletumque soluti, Deum vatemque testati, ut praedones erepta sibi bona restituerent; sed frustra, quum precibus nihil promoverent.

Praedo conscientia ater si modo superaverit,
Nihil mercatorum fletus curaverit.

Sapientissimus in eodem comitatu fuit Lokmanus. Quidam comitum illi ait: Tu hos sapientiae dictis et bonis documentis meliora doceas, fortassis meliora docti, a facultatum nostrarum parte abstinuissent; miserandum enim, tantas divitias amittere. Lokmanus respondit: miserandum profecto, in illos nebulones vel unum sapientiae verbum effundere.

Quod ferrum ferrugine fuerit corrosum,
A ferrugine nulla lima expurgari potest.
Hominem conscientia atrum monere, quid refert?
Ferrens enim clavus in saxa nequaquam penetrat.

---

5) v. Gentii speculum politicum. pag. 90.

Proverbium est Mohammedanorum de insigni hominis cujusdam sapientia: non necesse est docere Lokmanum [6]).

De ultimis Lokmani diebus Saadi haec commemorat: Vitae finem ad ripam paludis, arundine vestitae, degebat, ubi in tugurio exstructo corbes e juncis texuit. Hic apparuit ei Angelus mortis et, Qui fit, inquit, Lokmane, quod abhinc tria millia annorum, quos in hoc mundo vixisti, nondum tibi exstruxisti domum? Respondit Lokmanus: O Israël! stulte facerem, si mihi exstruerem domum, bene sciens, te semper instare vestigiis meis.

Auctor libri Tarich montekeb narrat, sepulcrum Lokmani suo adhuc tempore exstare apud Ramlam seu Ramam, Syriae oppidum, haud procul ab Hierosolymis, ubi septuaginta illi prophetae, a Judaeis fame necati, sepulti sunt.

Ferunt nomen filii ejus fuisse Anâm; sed alii vocant eum Ascam, alii Mathan.

Jam hujus Lokmani fabulae exstant triginta septem numero [7]), quae, si fides haberi pos-

---

6) v. Fabul. Lokman. ed. Erpen. praefat. pag. 7.

7) In Codice Parisiensi earum sunt 41 numero, quas omnes continet novissima Roedigeri editio: Locmani fabb. quae circumferuntur, annotatt. criticis et glossario explanatae; Halis 1830.

sit doctorum Mohammedanorum narrationibus, ad antiquissima tempora referendae essent Attamen earum longe plurimae iis, quae sermone Graeco sub Aesopi nomine circumferuntur, simillimae sunt. Porro Aesopi apud Graecos et Lokmani apud Arabes eadem datur descriptio: utrumque fuisse servum, deformis corporis, ingenii elegantissimi, manumissum, eodem tempore vixisse etc. Quae omnia observantes viri docti *Lokmanum cum Aesopo eundem esse* putaverunt [8]). Atque adeo nomina eadem esse contenderunt; a Graecis enim, qui verum auctoris fabularum nomen ignorassent, Aesopi nomen corruptum esse ex voce *Αἰθίοπος*, Aethiopis, quum inter omnes constet, Lokmanum fuisse natione Aethiopem [9]). — Contra Baumgarten [1]) observat, Lokmani nomen, quod hominem yoracem et celeriter

---

8) v. Steph. Clericum, quaest. S. p. 325. — Huetium, de fabul. Romanens. p. 11. — Pfeifferum, critic. sacr. Cap. XVI. Sect. 2. Quaest. 5. — Heumannum, in Actis philos. part. VIII. nr. 4. — Buddeum, observatt. ad histor. philos. Cap. III. §. 18.

9) v. Hottingeri Histor. Orient. pag. 102. — Golium, ad grammat. Erpenii. pag. 189. — (Langlés) Fables de Loqman, ed. Marcel. au Kaire. 1799. Praefat. pag. 10.

1) v. *Allgemeine Welthistorie.* Tom. IV. pag. 371.

deglutientem significet (fortasse de fructibus, quos vero ejus conservi ederant, sive de melone amaro hoc nomen acceperit), ex Aesopi descriptione esse desumtum.

Deinde alii fabulas Aesopicas ex Lokmanianis natas esse crediderunt [2]), quum notissimum sit, Graecos hujusmodi furta saepius commisisse et, si quid antiquae historiae mutare potuissent, aliorum merita sibi vindicasse. Praeterea rationem docendi fabulis apud Orientales in usu fuisse, priusquam Graecis ullum aliud doctrinae genus cognitum fuerit [3]); et omnino Graecos scientiarum et bonarum artium rudimenta a populis Asiae accepisse [4]).

Quidam denique nominum similitudine inducti vel poëtam lyricum Alcmanem sub hoc nomine latere conjiciunt [5]); quos tamen refutat Jac. Schudtius [6]).

---

2) v. Hirt, in Actis Acad. Elector. Mogunt. Tom. I. pag. 583. — Fables de Loqman, ed. Marcel. pag. 10.

3) Baumgarten, *Allgem. Welthist.* l. c. — Herbelot l. c.

4) v. Chardin, voyage en Perse. Tom. III. pag. 227.

5) v. Chr. Ravii, Specim. Alcorani praefat. — Job. Ludolfi comment. ad Histor. Aethiop. pag. 53.

6) Compend. Histor. Jud. pag. 88.

Haec vero omnia infirmis nituntur argumentis. Primum enim de Lokmano nihil fide historica statui potest, nisi quod Mohammedis tempore veteris Sapientis nomine nobilitatus fuerit. Quae enim de eo ab Arabicis Korani commentatoribus traduntur, adeo puerilia, adeo absona et stulta sunt, ut nec minimam sibi fidem vindicare posse videantur. Quis vero tam ineruditus, aut tam rationis expers esse possit, qui eorum auctoritatem cum Herodoti, Platonis, Plutarchi, ceterorumque gravissimorum scriptorum, qui de Aesopo mentionem fecere, auctoritate conferre audeat? Satis quidem omnibus compertum est, quanta non solum in patriis, sed etiam in Graecis Latinisque historiis enarrandis ineptiant Orientales, quorum ingenium est, omnia pervertere, ac veris cum falsis confusis, non historias, sed ex iis joculares fabulas concinnare.

Item vero de Aesopo nihil certi scimus; apologi ejus jam Aristophani noti sunt, de ejus persona autem veterum nullus aliquid tradidit, sed primus Maximus Planudes, circa annum Christi 1350, cujus vita Aesopi indigna est fide et plena fabulis atque anachronismis.

Deinde incertum est, utrum veteres, qui fabulas Aesopicas memorant, usi sint Aesopi ipsius scripto, aut potius eas retulerint, qua-

les vel ore traditas vel ab alio collectas accepissent. Certe fabulae illae, quas Planudes collegit, in novum morem immutatae et rhetorice tractatae videntur. Antiquissima earum forma plane ignota est; neque Phaedri quidem liber hujus rei testis esse potest, quippe qui verisimiliter quinto decimo demum seculo a Perotto conscriptus est [7]).

Tum Lokmanus Arabibus vetustioribus nihil est nisi Sapiens, e Korano notus; fabularum ab eo compositarum scriptorum Arabicorum trium seculorum priorum aerae Mohammedanicae nullus mentionem facit, sed Persarum demum annales seculi decimi nostrae aetatis. — Exstat collectio sententiarum, Lokmano Sapienti adscriptarum [8]), quae vero, perinde atque illae a Korani interpretibus commemoratae, fabulis dissimillimae sunt. Illorum igitur tempore fabulae, quas nunc Lokmanianas nominant, nondum notae fuisse videntur.

Postremo diligenter inspicienti fabulas Lokmanianas difficillimum fit ad fidem, eas in solo

---

7) v. Schiller, *Allgem. Zeitschrift.* Tom. I. pag. 503 sqq. — Fabricii biblioth. Latin. Tom. II. pag. 26.

8) v. Galland, paroles remarquables, bons mots et maximes des Orientaux. Paris. 1694.

Arabico natas esse. Si Arabiae fructus essent, e tempore ante Mohammedem, ubi nulla fere Arabibus societas fuit cum aliis populis, uti carmina antiqua, gentis, ejusque vitae rationis et locorum speciem prae se ferrent. At in fabulis illis nec camelus reperitur, nec hyaena, nec canis aureus, neque antilope [9]), deserti animalia, nec Beduini, nec commeatus, neque hospitii laudes, neque, ut rem paucis absolvam, quidquam, quod vetustiorum Arabiae gentium, cum gregibus pascua peragrantium, proprium sit. Aliena potius reperiuntur in fabula V, de leone et homine, et in fab. XVI, de homine et idolo, seu lare, quae pertinent ad populum, artibus, quae versantur in rerum imaginibus et simulacris fingendis, eruditum. Fabb. XVII et XXIII, de homine nigro, tantummodo ad homines albos referri possunt, non ad tales, qui omnes a sole infuscati sunt.

Praeterea fabularum dictio minime convenit antiquae linguae Arabicae, qualem in carminibus Moallaka invenimus; nihil audacter aut poëtice dictum est, sed omnia plana et exili prosa oratione.

Postremo sententiae occurrunt, quae vigentem jam religionem Islamiticam aperte osten-

---

9) nam غَزَالٌ fab. II. significat cervum.

dunt [1]); e. c. in interpretatione morali fabulae XIV: omnes homines vitae terrestris sunt cupidi; sententiae fabulae XIX inest sensus, qui convenit Mohammedis doctrinae. Fab. XXIX alluditur precum publicarum promulgationi, أذان dictae.

Jam si comparas fabulas Lokmanianas cum Aesopicis [2]), has respondere sibi invenies:

Fab. I. Leo et duo tauri,	et fab. 333. [3]).
Fab. II. Cervus	et fab. 66. Cerva et Leo [4]).
Fab. III. Cervus	et fab. 337. Cervus aegrotans.
Fab. IV. Leo et vulpes	et fab. 296. Leo, mus et vulpes.
Fab. V. Leo et taurus	et fab. 92.

1) v. Silv. de Sacy in Magasin encyclop. rédigé par Millin VIe année; an IX (1801). Tom. VI. pag. 353.

2) Numerorum signa Romana indicant fabulas Lokmanianas, Arabica Aesopicas ex editione de Furia. Lips. 1810.

3) Ad verba paene congruunt; in medio tantum Arabs paulo brevior; sententia moralis est eadem, Similis est fab. 207.

4) Haud in magno discrimine positum est, quod Graecus leonem, Arabs venatores introducit; nam in Graeca etiam fabula simillima, 209, paululum modo contracta, sunt venatores. Arabs in fine omisit sententiam, sicut Graecus ad fab. 209.

Fab. VI. Leo et vulpes	et fab. 91.
Fab. VII. Leo et homo	et fab. 169. Leo et homo iter facientes.
Fab. VIII. Cervus et Leo	et fab. 64.
Fab. IX. Cervus et vulpes	et fab. 4. Vulpes et hircus [5]).
Fab. X. Lepores et vulpes	et fab. 108.
Fab. XI. Lepus et leaena	et fab. 106. Leaena et vulpes [6]).
Fab. XII. Mulier et gallina	et fab. 47.
Fab. XIII. Culex et taurus	et fab. 294.
Fab. XIV. Homo et mors	et fab. 50. Senex et mors.
Fab. XVI. Homo et idolum	et fab. 80. Heros.
Fab. XVII. Homo niger	et fab. 204. Aethiops.
Fab. XVIII. Homo et equuleus	et fab. 343. Homo, equa ejusque pullus.
Fab. XIX. Homo et porcus	et fab. 131. Porcellus et vulpes.
Fab. XX. Testudo et lepus	et fab. 173.
Fab. XXI. Lupus	et fab. 416. Lupus et leo.
Fab. XXIII. Niger, eadem cum fab. XVII. [7]).	
Fab. XXV. Puer	et fab. 167. Puer se lavans [8]).
Fab. XXVI. Puer et scorpio	et fab. 158. [9]).
Fab. XXVII. Columba	et fab. 160. Columba sitiens [1]).

---

5) Eadem est sententia, sed habitu alio, paulo diverso.

6) Similis est fab. 189. Leaena.

7) Alia tantum fabulae Graecae versio esse videtur.

8) Fabula ad verba; sententia diversa.

9) Similis etiam est fab. 171. Puer locustas colligens.

1) Arabs in phrasi *κρατῆρα ὕδατος γεγραμμένον* vocem *γεγραμμένον* omisit.

Fab. XXVIII. Felis	et fab. 49.	Mustela.
Fab. XXIX. Faber et canis	et fab. 82.	
Fab. XXX. Canes et vulpes	et fab. 336.	
Fab. XXXI. Canis et lepus	et fab. 346.	
Fab. XXXII. Venter et pedes	et fab. 286.	
Fab. XXXIII. Mustelae et gallinae	et fab. 157.	Gallina et felis.
Fab. XXXIV. Sol et ventus	et fab. 391.	
Fab. XXXV. Duo Galli	et fab. 119.	Galli et aquila.
Fab. XXXVI. Lupi	et fab. 289.	Canes famelici.
Fab. XXXVII. Anser et hirundo	et fab. 191.	Anseres et grues.
Fab. XXXVIII. Canis et lupus	et fab. 342.	
Fab. XXXIX. Duo canes	et fab. 22.	Canis ad convivium.
Fab. XLI. Canis et piscis,	et fab. 339.	Canis cibum ferens,
(seu corvus)	et fab. 219.	Canis et ejus imago.

Similitudo harum fabularum tanta et tam mira est, ut principio easdem et ex Graeco in sermonem Arabium esse conversas existimare oporteat. Nam Graecae adeo voces in translatione Arabica occurrunt, uti fab. V. خلاقين a singulari خلقين, Graecorum *χαλκεῖον*, quod fortasse in alia fabularum Aesopicarum editione legitur pro *λεβήτοις καὶ ὀβελίσκοις*, secundum Furiae editionem; Codices enim varie inter se dissident.

Jam vero summam eorum, quae ex supra dictis colligi possunt, subducere liceat:

1. Fabulae non Lokmanum illum, sapientiae gloria apud Arabes inclytum, auctorem habent, sed ex Graecis modo ad verbum, modo liberalius, translatae et maximam partem paululum brevius et attenuatius conscriptae sunt.

2. Qui eas convertit in linguam Arabicam, alias novit fabulas, quae hodie graece non exstant, aut ipse fabulas componere tentavit; saltem fabularum XV. XXII. XXIV et XL. exempla Graeca non inveni.

3. Interpres florente Islamismo vixit.

4. Plures fuisse interpretes conjicere licet; nam fabulae XVII et XXIII, si verum quaeris, nihil differunt.

5. His fabulis sine nomine auctoris, a diversis fortasse translatis ex Graecis et imitatione expressis collector anonymus ornandi tituli causa praefixit nomen Lokmani, qui sapientiae fama celebratus et Mohammedis laude in Korano nobilitatus fuit. — Haud scio, an hac occasione nonnullae Graecorum posteriorum de Aesopo traditiones transierint ad Lokmanum.

THESES.

I.

Mohammedes erat Naturalista, ejusque nova religio merus erat Naturalismus.

II.

Ex Judaeorum religione et hiotaria nihil omnino in mythologiam Graecam fluxit.

III.

In Horatii Oda I. libri I. *Te doctarum* etc. legendum esse statuo.

IV.

Multae terminationes grammaticae linguae Graecae et Latinae nonnisi ex Sanscrita lingua explicari possunt.

V.

Disciplinae morum legem universalem positivam quam dicunt, nullam esse, sed cujusque populi hominisque quasi singularem esse contendo.

PRINCETON UNIVERSITY LIBRARY PAIR
32101 019164704